Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26422
Copyright: Admont, Benediktinerstift

etiam intus gerit. Satis idoneus testis ipse Cyprianus declaratur lib. V
quod multis verbis persequitur non posse in Christo baptizari eos qui patrem Christi blas
phemant, cum eos errore blasphemare manifestum sit. Non enim qui
accedit ad baptismum Christi aperte blasphemat patrem Christi, sed aliud quam
veritas docet de patre Christi sentiendo blasphemare convincitur.
Iam satis ostendimus ad baptismum quod verbis evangelicis consecratur non per
tinere cuiusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de patre sive de
filio sive de spiritu sancto aliter sentiat quam doctrina celestis insinuat.
Multi enim carnales et animales etiam intus baptizantur, cum aperte dicat
apostolus: Animalis autem homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. Et post acceptum iam
baptismum dicit eos animales esse. Secundum sensum autem carnalem non po
test non carnaliter de Deo sapere anima corporeis sensibus dedita. Unde
multi post baptismum proficientes et maxime qui infantes vel pu
eri baptizati sunt, quanto magis eorum intellectus serenatur et il
luminatur, dum interior homo renovatur de die in diem, priores suas
opiniones quas de Deo habebant cum suis fantasmatibus lu
dificarentur irridentes et detestantes atque confitentes abiciunt.
Nec tamen ideo non accepisse baptismum existimantur, aut talem
baptismum accepisse creduntur qualis fuit error eorum, sed in
eis et sacramenti integritas honoratur et mentis vanitas emendatur,
etiam si confirmata et multis contentionibus defensa caluerat.
Quapropter et hereticus qui perspicue foris est baptismum illic evan
gelicum accepit, non talem utique baptismum accepit quali erro
re cecatur. Et proinde si respiciens videt relinquendum esse quod ma